



V. 8.

~~H. III. 28.~~

51  
78

ORDINIS MEDICI  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
D. ABRAHAMVS VATER

ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL.  
SOCIET. NAT. CVR. ET LONDINENS. ET BEROLINENS.  
SODALIS

ANATOMEN  
TRVNCI VLMI, CVI CORNV CERVINVM INOLITVM  
PROPONIT

SIMVLQVE  
LECTOREM BENEVOLVM  
AD DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
DE  
CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI

D. XXX. OCT. A. S. *cl*o *l*o *cc* *XLI*.

VENTILANDAM  
PERQVAM OFFICIOSE  
INVITAT.

ORDINIS MEDICI  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
D. ABRAHAMVS VATER  
ANAT. ET BOTAN. PROF. PUBL.  
SOCIET. NAT. CVR. F. ONDINENS. ET BEROLINENS.  
SODALIS  
A. N. A. T. O. M. E. N.  
TRINCI V. M. C. V. L. G. O. N. N. C. E. R. V. I. N. V. M. I. N. O. L. T. V. M.  
L. E. C. T. O. R. I. T.  
L. E. C. T. O. R. E. M. B. E. N. E. V. O. L. V. M.  
A. D. D. I. S. S. E. R. T. A. T. I. O. N. E. M. I. N. V. A. R. I. A. L. E. M.  
C. O. N. S. E. N. S. V. P. A. R. T. I. V. M. C. O. R. P. O. R. I. S. H. U. M. A. N. I.  
D. XXX OCT. A. 2. 1711  
VENTILANDAM  
P. R. O. V. A. M. O. F. F. I. C. I. O. S.  
I. N. V. I. T. A. T.





nte aliquot annos accessit ad urbem nostram homo ignotus, secum asserens segmentum trunci Ulmi, cui Cornu Ceruinum inolitum erat, quod ille pecuniam soluentibus, intuendum et admirandum exposebat, illudque tandem mihi uenale offerebat, causam interferens, se pertaesum esse molestiae quam eius transportatio ipsi afferat. Videram iam tum antea talia cornua, in quamplurimis Gazophylaciis Principum, in quibus inter alia singularia asseruantur. Tanto facilius adductus sum, ad illud emendum, quanto faciliorem mihi se praebuit mercator, utpote qui, decem ad duodecim imperiales primum postulans, tandem aureo soluto, contentus fuit, illudque mihi addixit. Hoc ipsum tamen pretium, rei dignitati non respondere, mihi uisum est, unde fraudem subesse, suspicari coepi. Suspicionem auxit, cum uiderem, truncum hunc ligneum, ubi-  
 que

que locorum per breue tempus repositum, maculam humidam post se relinquere, ex quo non sine ratione coniciebam, arcanum aliquod hic latere, ad quod occultandum, continua opus sit humectatione. Legi praeterea eo tempore in *Act. Erud. A. MDCC. Mens. Iun.* hac de re iudicium TOLLII, ex *Epist. II. Itiner. l. c.* relatum, qui censuit dolum uenatorum esse, gratiam Principis captantium, et crescentibus arboribus nouellis illa cornua inferentium, quae dein, tanquam innata, crescendo complectantur. Huic addidit HENNINIUS, Epistolarum harum Editor, TOLLII coniecturam non omnino uanam esse, ipsos tamen ceruos saepe cornua tenerioribus arboribus intrudendo, abrumpere. Intelligebam quidem, hoc concipi quodammodo posse, si ceruus est subulo, cui cornua sunt simplicia, instar subularum. Sed quo pacto ceruus, cornu ramosum, ramis ab inuicem distantibus, et hinc atque inde exporrectis, gerens, illud in tenellam et iuniorem arbusculam, mediocris crassitiei, ita intrudere possit, ut rami in maiori, ac arbusculae crassities admittit, distantia, distinctis locis egredi possint, ingenii acie adhibita, speculari assequi non potui, nec adhuc dum possum, quia hoc aequè impossibile uidetur, quam ut camelus acus foramen transeat. Talis autem supponitur arbuscula, et talem esse oportet, quia arbor adulta, ob ligni duritiem, perforationem talem non admit-

admittit. His meditationibus detentus, deliberaui, quid faciendum? Vtrum neglecta pecunia, pro eo soluta, truncum dissecarem, an uero eundem illae- sum conseruarem? Vicit tandem cupido, mysterium detegendi. Arripui propterea ferram, atque trun- cum ita dissecui, ne cornu intus latens, damnum accipere posset. Sic fraus et impostura detecta est, singula frustra, praemissa terebratione sat profunda, distinctis locis intrusa fuisse, eo quidem ordine, ut intuentes decepti, credant, cornu ceruinum in- tegrum in arbore haerere, et ramos hinc inde porrigere. Ita fragmenta arbori insinuata, per ali- quod tempus in abditis sylvarum recessibus relictæ, cortici excrescenti circumcirca conglutinantur, ac si eidem innata essent. Insitioni huic prae aliis apta uidetur ulmus, quia in eius cortice, obseruante MALPIGHIO in *Anat. Plant. p. 22.* utriculorum or- dines, a succo in iisdem congesto, extensi, erum- pere, et monstruosos tumores generare solent, qui corticem exterius asperum, crustosum et inaequalem efficiunt. Conuenit exemplar nostrum cum illo, cuius iconismus, a Clarissimo TEICHMEYERO, cum cogitationibus suis transmissus, *Commerc. Liter. An. XXXVIII. Tab. III. Fig. XXIV.* delineatur. Tantum in praesenti de hoc exposuisse sufficiat. Accedimus ad Clarissimi Candidati uitae curriculum, ab ipso ex- positum.



**E**go, IOANNES GOTTLÖB LEHMANNVS,  
 diem celeberrimo natalem, d. IV. Aug. cl. lcccxxix. Locus  
 natalis est Langenheinersdorfium prope Pirnam. Patre  
 usus sum non minus pio, quam indulgente, vñ èv αὐγίσις  
**MARTINO GOTTLÖBIO LEHMANNO**, qui  
 tunc temporis rem oeconomicam agebat, in praediis Comi-  
 tis de Zinzendorff; Matre vero **IOANNA THEO-**  
**DORA**, ex gente Schneiderorum, non minus de me  
 optime merita. Infans adhuc locum mutavi, una cum  
 parentibus, qui proprio praedio praefuturi, Eckersdor-  
 pium prope Dresdam petebant. His igitur Parentibus  
 debeo, quod sim. Hoc tamen ipsis non satis visum fuit,  
 solliciti etiam fuerunt, ut homo essem. Eius finis causa,  
 non tantum ipsi prima rudimenta me docuerunt, verum  
 etiam, cum propter negotia domestica tempus non sup-  
 peteret, privatis Praeceptoribus, id negotium demanda-  
 runt. Et sic **HAESSELIO**, **TMELIO** et **FEHRIO**,  
 studia, quae humaniora uocantur, in acceptis refero.  
 Patre orbatus sum cl. lcccxxxix. ita tamen, ut omnem  
 mei curam in se susciperet Mater, ad cineres usque pie-  
 tate prosequenda. Sub eius, et Patronorum consangui-  
 neorumque auspiciis, cl. lcccxxxv. tempore Verno Musas  
 Portenses salutavi. Sed cum aduersa ualetudo in studiis  
 meis me interpellaret, post semestre temporis spatium,  
 domum redux factus, privatis operam nauavi studiis.  
 Quorum dulcedine ductus, altiora petii. Lipsiae igitur  
 cl. lcccxxxviii. Sacris Musarum et Aesculapii initiatus  
 sum,



sum, Rectore Magnifico, IO. ERHARDO KAPPIO, mense Iunii. Collegiis igitur interesse coepi Professorum, in alma illa Philurea Celeberrimorum, sigillatim VINCKLERI in Philosophia et Physica, tum Theoretica, tum Experimentalis, PLATZII solertia usus sum in cognitione Plantarum. Non minori dexteritate usus est, in me erudiendo, Cl. HEBENSTREITIVS, structuram corporis humani in Anatomia demonstrando. QUELLMALZIUS uero, quae ad Physiologiam spectant, in collegiis mihi exposuit. Et sic annum transégi Lipsiae. Cum uero ingenti flagrarem cupiditate, Wittebergam uisendi, huc profectus sum, id animo uoluens, ut studiis meis hic operam nauarem. Nomen igitur dedi, et in numerum Studiosorum receptus sum, a Rectore Magnifico, IO ANNE GODOFREDO KRAVSIO, beatae memoriae. His peractis totum me tradidi Viro Magnifico, Domino D. VATERO, quem non tantum Praeceptorem, uerum etiam Patrem expertus sum, semperque uenerabor: Cuius in me merita non minus amplissima, quam innumera, nulla apud me obliuio oblitterabit. Quicquid igitur in Anatomia, Botanica, Physiologia, Chymia, et ut paucis multa complectar, in tota arte salutari didici, Magnifico VATERO potissimum in acceptis refero. Neque tamen Magnifici Domini STENTZELII et CRELLII unquam obliuiscar, quorum in me docendo humanitatem, dexteritatemque perpetuis laudibus ornabo, et grata mente agnoscam.

Ad



Ad examen Hic ante octo menses admissus, ingenium eximium, atque doctrinam in rebus Medicis haud uulgarem demonstrauit, et locum inter Medicinae Candidatos a Facultate nostra obtinuit. Ad summos igitur in Arte Salutari honores impetrandos, nihil superest, quam ut publicum specimen edat. Quamobrem futuro die XXX. Octobr. dissertationem inauguralem, de *Consensu partium corporis humani*, me Praeside tuebitur, ad quam, ut Patres Conscripti, et reliqui literarum Fautores beneuole accedere uelint, ea, qua par est, obseruantia rogo.

Dabam e Museo d. XIV. Octobr.

MDCCLXI.



VITEMBERGAE,

TYPIS SCHLOMACHIANIS.



Ung V 8

ULB Halle 3  
001 516 264




sb

W 18  
V 17

7







51  
78

ORDINIS MEDICI  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T.  
DECANVS  
D. ABRAHAMVS VATER  
ANAT. ET BOTAN. PROF. PVBL.  
SOCIET. NAT. CVR. ET LONDINENS. ET BEROLINENS.  
SODALIS  
ANATOMEN  
TRVNCI VLMI, CVI CORNV CERVINVM INOLITVM  
PROPONIT  
SIMVLQVE  
LECTOREM BENEVOLVM  
AD DISSERTATIONEM INAVGVRALEM  
DE  
CONSENSV PARTIVM CORPORIS HVMANI  
D. XXX. OCT. A. S. c1513cc XLI.  
VENTILANDAM  
PERQVAM OFFICIOSE  
INVITAT.

